



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

SS. Simon, & Judas Apostoli. 28. Octobris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

676 VITÆ SANCTORUM. 28. Octob.
Nihil hæc ad meos triumphos, ait Ro-
mulus. Sed sic triumphanti cælum ap-
plausit. Ex Metaphr.

Laquens est in auro, viscus in argento,
nexus in prædio, clarus est in amore. Dum
aurum petimus, strangulamur; dum ar-
gentum querimus, in visco ejus hæremus;
dum prædium invadimus, alligamur; quin
etiam mulieris decus dum tentat, astringit.
Ambros. de Bono mortis cap. 5.

SS. SIMON, & JUDAS APOSTOLI.
28. Octobris.

Ubi primùm debellandum sibi orbem
Apostoli sumpserunt, aliis alio mo-
ventibus, SIMON in Ægyptum, JUDAS ve-
rò Thaddæus frater SIMONIS in Mesopo-
tamiam expeditionem adornavit. Sub-
actis iis provinciis, in Perside copias jun-
xerunt, missaque iterum sub jugum Chri-
sti innumerà multitudine, demùm uno
eodeinque tempore de morte ambo fra-
tres triumpharunt. quod spectaculum ne
Romæ quidem toties triumphanti obti-
git: Porro JUDAS dudum antè regem E-
desse adiit Abagatum (is est qui olim
Christum, cùm in vivis adhuc ageret, per
amicas literos in regni societatem evoca-
vit) telam ferens, in quâ vultum sui quām
simillimum Servator expresserat: munus
profecto etsi ipsum artificem suum non
referret, ab artificis certè manu quām
maximè commendandum. Hoc ubi cu-
biculo decubentis regis fuit illarum, lo-
cum

29. Octob. VITÆ SANCTORUM. 677
cum illic omne in usitatâ luce comple-
vit, mox aspectu suo Abagarum à morbo
recreavit, tactu verò persanavit etiam. In
sacris undis cum omni aulâ suâ ablutus
imaginem conspicuo loco venerandam
proposuit, ipse epigraphen, literis auro li-
ventibus, in hunc sensum adjecit: *Spes*
nulli umquam imponit, quam qui in te Christo
ponit. Rectè, ais, Dei effigiem in hono-
re Abagarus habuit. Tecum sentio. Sed
nego illos hodie rectè facere, qui vivos
Dei vultus, animos inquam, perturbare
per summam injuriam non verentur. Ex
Constant. Porphyri. Hieron.

Quia præsentia gaudia sequuntur æterna
lamenta; hic vanam lætitiam fugite, si illuc
flere formidatis: nemo enim potest & hic
gaudere cum sæculo, & illis regnare cum
Christo. S. Greg. 11. homil. in. Evang.

S. NARCISSUS EPISC. 29. Octobris.

Florere sibi videbatur Hierosolyma,
cum NARCISSUM habere Pontificem
odore virtutis charissimum patriæ
& acceptissimum. Sed ex tam pulchro flo-
re pessima aranea invidia venenum sibi
suxit. Terni & ex mendaciis compositi
cives innocentiam conspirarunt, & san-
ctissimam viri famam fœdissimi crimi-
nis delatione contaminare sunt aggressi;
utque ruitura mendacia perjurio falci-
rent, si fallerent, pœnas ipsi sibi judices
rel dictarunt, & prius ignes, alter mor-

Vu 3 bum